



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De Tentatione Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

quia aliquæ sacræ actiones peculiariter fiunt illo durante, & aliquæ prophanæ prohibentur. Est autem sacrilegium, ex genere suo, peccatum mortale, nisi excuset paruitas materiæ, aut inaduertentia. Agunt de ipso *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. initio. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 6. Filliuc. tom. 2. tract. 24. cap. 6. Azor. tom. 1. lib. 6. cap. 27. Less. lib. 2. c. 45. dub. 2.*

### De Tentatione Dei.

19 **A**D Irreligiositatē pertinet peccatum tentationis Dei. Est autem Dei tentatio, ut hic accipitur, cum quis aliquid facit, aut dicit, quo sine vlla rationabili causa, seu præter ordinem rectæ rationis, velit veluti cogere Deū, ut suam potentiam, scientiam, voluntatem, iustitiam, aut aliquod aliud attributum ostendat, siue pro ipso tentantes; siue pro alijs: atque hoc pacto velut experimentum facere diuinæ potentia, &c. Ut si quis nollet vti cibo, & potu, & vellet conseruari à Deo in vita: & relictis medijs ordinarijs, & necessarijs, expectaret à Deo effectum ex-

traordinarium, & miraculosum, &c  
Dixi, sine rationabili causa: nam si quid  
simile fieret interdum ex interno instin-  
ctu Spiritus Sancti; non esset tentare  
Deum.

20 Potest autem hæc tentatio esse di-  
recta, & explicita: quando scilicet proce-  
deret ex expressa intentione experien-  
di modo dicto diuina attributa: & potest  
esse tacita, & interpretatiua, cum scili-  
cet reuera sit aliquid ex se ordinatum  
ad tale experimentum: quamuis expres-  
sè id non intendatur. Et utroque modo  
potest esse mortale in materia graui:  
vt si homo se exponeret manifesto pe-  
riculo vitæ, aut grauis mali proprii, aut  
proximorum, aut quòd veritates Fidei  
derideantur, & spernantur ab infideli-  
bus, aut innocens damnerur, aut sit va-  
na curiositas, & ignorantia culpabilis  
rerum Fidei, aut quid simile. De hac re  
*S. Tho. 1. 2. quest. 97. Suarez tom. 1. de Relig.  
tract. 3. lib. 1. initio Less. lib. 2. cap. 45. dub. 1.*

21 Huic peccato contra Religionem  
possunt adnecti peccata, quæ sunt cõtra  
Virtutes Theologales, quæ sunt tres,  
Fides, Spes, Charitas.